



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

5. Anthysa ex bonis mariti defuncti potest absque iniuria creditorum sublegere sibi necessaria ad comperentem sustentaionem, & iurare dein, aliquid se subtraxisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

(sunt quippe duo in carne vna Matth. 19.) ac delinquens etiam moderatè corrigenda, cum acris & digna delicto pœna non ad maritum, sed Iudicè pertineat. Vnde Palao de sponsalib. D. 3. pun. 4. §. 3. verberum Punctionem (nisi grauiſſima virgeat causa) mortalem censet, & non immeritò, quia ex se vtpote servilis maximè vxorem dedecet; & in aliquorum sententia sufficientem dat divortij causam.

V. *Anthusa vxor advertens virum suum plura contrahere debita, quàm sit solvendo, post mortem huius inopinatam citò tantum bonorum subtrahit, quantum & sibi & liberis ad competentem sustentationem necessarium arbitratur. Vnde suspecta creditoribus coram Iudice iurat, nihil de bonis viri se sublegisse, subintelligendo non necessarium ad honestæ vitæ sustentationem. Queritur. An facere hoc licitè potuerit?*

Videtur non potuisse. Tum quia est infraudem, & contra Ius creditorum in bona relicta à marito. Tum quia sequeretur, debitores non teneri solvere debita cum aliqua imminutione honestæ sustentationis, quod videtur contra communem. DD.

*Resp.* Licitè fecisse Anthusam. Ita Cœlestin. in compend. mor. Theolog. Tr. 9. cap. 19. in fine relatus apud Dian. P. 5. Tr. 14. R. 57. Ratio est, tum quia creditores rationabiliter non possunt esse inuiti. Tum quia rem alienam iniustè non retinet, & sicut subtrahendo necessaria

ecessaria ad sustentationem ( etsi iniuste à viro  
essent acquisita ) non peccat, ita neque peccat  
iurando. Tum quia licitum est cuilibet in  
gravi sua, vel suorum necessitate, aliquid  
clanculum surripere, quando aliter ea averti  
non potest, vt docent P. Navarr. L. 3. cap. 1. n.  
357. Less. Lugo, alij. Ergò multò magis lici-  
tum erit Anthoni, aliquid non restituere, cum  
substractio illa non tam sit ablatio rei, quàm  
denegatio restitutionis.

Ad primum in contrarium negamus, id es-  
se in fraudem & contra jus creditorum, hoc  
ipso, quod iuste ac rationabiliter fiat. Ad se-  
cundum itidem negamus sequelam, cum hic  
non agatur de aliqua solùm imminutione,  
sed omnimoda amissione honestæ sustenta-  
tionis, & ex communi doctrina plus liceat  
ad cavendam istam, quàm illam.

VI. *Attilius Princeps ob copiam vini in sua  
ditione crescentis legem statuit, ne quis vinum ex  
alia Prouinciâ inferret. Cneus huius gnarus an-  
tequam lex illa promulgaretur, aliquot vini plau-  
stra aliunde advexit. Subditi verò eandem legem  
postea promulgatam absque iustâ causa non accep-  
tarunt. Queritur. Virum tam isti, quàm ille  
contra legem egerint?*

Videtur, Cneum fecisse contra legem;  
quia sciuit, eam iam esse statutam: non au-  
tem eandem violasse subditos; quia iuxta  
communem sententiam Canonist. in c. 1 de

B

Treuca